

2485

A S C R T I C I

2486

five *Gyriacum* in *Slavoniae* regione collocat, ob linguam *Vindicam* factum reor, qua *Plebs* inferioris *Stiriae* utitur. *Carthusiae* hujus vernaculae *Geyrach* dictae et jam a. 1591. in sustentationem Alumnorum Cleri secularis adtributae *Chartae* extant inter *Diplomataria Sacra Stir.* P. II. *Vien.* 1756. p. 133. 4.

DCL.

203 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 31. f. rubricis distinctus, bonaeque notae ante Indicem Capp. hac gaudet inscriptione: *In nomine domini doctrina Monachorum patrum quam operibus peregerunt. apud orientem. quod exemplatum est ex codice abbatis theodori senioris. et abbatis theodori junioris. quem transtulit de greco in latino pelagius archidiaconus sancte ecclesie romane. et johannes subdiaconus eiusdem ecclesie ad instructionem et cautelam conuertentium in sancta religione.* Est is liber, quem *Photius Cod.* 198. titulo *Ανδρων άγιων Βιβλος* graecum legerat, quique illi *Συγκεφαλαιωσις και συνοψις τς μεγαλης Λειμωναρις* visus est. Autor tamen illum, perinde ut nos, latuit. *Capita* sive *Libellos* censet XXI. quorum primi titulus miniatus: *In nomine domini. Incipiunt adhortationes sanctorum patrum ad profectum perfectorum monachorum.* Initium: *Interrogavit quidam abbatem Antonium dicens: Quid custodiens placebo deo &c.* C. VII. n. 16. deficit *Codex*, ut patet ex collatione *Denis Codd. Theol. V. I. P. II.*

cum *Herib. Rosweydi Vitis Patrum*, *Antwerp.* 1628. f. ubi opus nostrum p. 559. *Librum V.* constituit. *Interpres* noster *Pelagius*, quem quidam deinceps sub *Pelagii I.* nomine ecclesiae universae praefuisse volunt, versionem circa an. 550. suscepit. *Sigebertus gemblac.* c. 115. *de Scriptt. eccl. sexdecim illi Capita* sive *Libellos* tribuit; dein vero *quindecim* tantum enumerat. Hunc secutus *Fabricius L. XV. Johannis* Subdiaconi versionem a C. XVII. incipere adferuit. Sed si *Rosweydam* audias, cujus ordo cum *Indice* Codicis nostri plane consentit, XVIII. *Capitulum* *interpres* est *Pelagius*, reliqua ad *Johannem* pertinent. In eo tamen et *Rosweydu* falli videtur, quod *Caput XVIII.* inscriptum *de Praevidentia seu Contemplatione* in duo dividat partem unam *Pelagio*, alteram *Johanni* adsignans; hac enim ratione universum opus *Capitibus XXIII.* constaret, quod tam *Photii*, quam nostro *Indici* repugnat. Ceterum *Johannis* Versio *Rosweydo* *Librum VI.* et Versio *Capitis XXII. Paschasio* tributa *Librum VII.* constituit. *Caput* vero istud in *Indice* nostro non memoratur. *De Pelagio, Johanne et Paschasio* agit *Rosweydu* cit. *Prolegom.* XIV. qui si *Codicem* nostrum nactus fuisset, non leve variantium lectionum spicilegium deprehendisset.

DCLI.

Codex membraneus lat. Sec. 796 XII. Folior. nunc 48. 8. non una manu,

M m m m

manu,